

arena & silicibus vehementi igne se destillasse spiritum acidum in febris ardentibus summe proficuum. Quinimo omnes mineræ ex terra extractæ sal vitriolicum & sulphureum acidum custodiunt.

Quod ipsum & in Vitriolo Nativo, & sale fossili perspicuum est.

§. XX. Vitriolum nativum & Sal fossile sufficienter Sal acidum in terra demonstrant. Et quod Spiritus ille mineralis, qui per totum globum terrarum ejusque sinuosos & anfractuosos meatus circumgyratur ac circulatur, sulphuræ acidæ naturæ sit, cognoscitur etiam ex vaporibus subterraneis, die Witterungen, qui ipsos lapides penetrant, & fecundant & mineras jam perfectas, si copiosus in illas irruant, corrodant & in calces vertant, maxime si non sub aquis hæc metalla posita fuerint, unde nomen exsurgit, verwitterte Erde. Talis autem effectus non alio nisi acido principio adscribendus est, uti videmus similem effectum in talismodi corporibus ab acidis penetrantibus spiritibus.

Ex dictis inferatur Sal æthereum in omnibus idem esse, naturamque Specificam illius à natura terræ proficisci.

Ubi obiter magnetica exhalationum attractio refutatur, & objectioni contra Sal æthereum respondetur.

§. XXI. Ex quibus jam clarissime efficitur, Sal illud seminale æthereum purissimum primum acidæ indolis esse, deinde pro diversitate terræ varie specificari ac determinari. Errare itaque illi videntur, qui putant in atmosphæra sive circulatione aeris circa globum terrestrem varias exhalationes salinas, nimirum nitrosas, vitriolaceas aluminosas & congeneres contineri & ex terris vi quasi magnetica attrahi. Non quidem negandum, atmosphæram ratione exhalationum pro diversitate terræ & in illa contentorum mineralium ac salum variare; illud tamen falsissimum est, salia in terris mortuis regenerata deberi his particulis seu exhalationibus. Magnetica enim talis sym-

pa-